

Luca Mondin (Università Ca' Foscari Venezia): *Parlare con il passante*

1. Catullo, c. 101

Multas per gentes et multa per aequora vectus
advenio has miseras, frater, ad inferias,
ut te postremo donarem munere mortis
et mutam nequiquam alloquerer cinerem,
quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
heu miser indigne frater adempte mihi!
Nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
tradita sunt tristi munere ad inferias,
accipe fraterno multum manantia fletu,
atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

2. CIL XI 627 – Epitaffio di C. Clodio Paolino

Italia, Regio VIII (Aemilia), Forlì, data incerta

Carpis si qui [via]s, paulum huc depone la[borem.]
Cur tantum proper(as)? Non est mora dum leg(is): audi
lingua tua vivum mitique tua voce loquentem.
Oro libens releg(as), ne taedio duc(as), amice.
[...]

3. CIL XIII 2104 – Epitaffio di L. Claudio Rufino

Gallia Lugdunensis, Lione, III sec. d.C.

D(is) M(anibus) et m(emoriae) aeternae L(uci) Cl(audi) Rufini.
Cl(audius) hunc [vivu]s Stygias Rufinus ad umbras
instituit titulum, post animae requ[i]em
qui testis vitae fat[i] sit lege [fut]ur[us],
cum domus acci[piet] saxeae corpus habens,
quodque meam retinet vocem data littera saxo,
vo[ce] tua vivet, quisque lege[s titu]los.
[...]

4. CIL VI 13696, 34072 – Epitaffio di M. Cecilio

Roma, II sec. a.C.

Hoc est factum monumentum Maarco Caicilio.
Hospes, gratum est quom apud meas restitistei sedes.
Bene rem geras et valeas, dormias sine qura.

5. CIL I² 1209, VI 33919a – Epitaffio di L. Mecio Filotimo

Roma, II sec. a.C.

Adulescens, tam et si properas, hic te saxsolus
rogat ut se aspicias, deinde ut quod scriptust legas.
Hic sunt ossa Maeci Luci sita Pilotimi vasculari.
Hoc ego voleba[m], nescius ni esses. Vale.

6. CIL XI 4010 – Epitaffio di M. Vitellio Teodoro, Bebia Fausta, M. Vitellio Cursor, Giulia Rufa

Italia, Regio VII (Etruria), Capena, I sec. a.C.

Eus tu, viator, veni hoc et queiesce pusilu.
Innuis et negitas? tamen hoc redeu(n)dus tibi.

7. CIL XIV 480 – Epitaffio di Socrate di Tralle

Italia, Regio I (Latium et Campania), Ostia antica, I sec. d.C.

Hic ego qui sine voce loquor de marmore caeso,
natus in egregiis Trallibus ex Asia,
omnia Baiarum lustravi moenia saepe
propter aquas calidas deliciasque maris.
Cuius honorificae vitae non immemor heres
quinguaginta meis millibus, ut volui
hanc aedem posuit struxidque novissima templa
Manibus et cineri posteriisque meis.
Set te qui legis haec, tantum precor ut mihi dicas:
“ Sit tibi terra levis, Socrates Astomachi ”.

8. CIL VI 2357 – Epitaffio di Giulia Felicula e del figlio Nettunale

Roma, I-II sec. d.C.

Dis Manibus Iuliae Feliculae coniugi bene merenti, eiusdem filio Neptunali pater fecit
Evaristus public(us) Iulianus sibi et suis po(s)terisque eorum.

Hospes, ad hunc tumulum ne meas ossa precantur
tectata hominis. Set si gratus homo es, misce, bibe, da mi.

9. CIL VI 5302 – Epitaffio di donna ignota

Roma, I sec. d.C.

Quicumque legis titulum, iuvenis quoi sua carast,
auro parce nimis vincere lacertos.
Illa licet collo laqueatos illiget artus
et roget ut meritis praemia digna ferat,
vestitu indulge, splendentem supprime cultum:
sic praedo hinc aberit, neq(ue) adulter erit.
Nam draco consumpsit domina speciosus ab artus
infixumq(ue) viro vulnus perpetuumq(ue) dedit.

10. CIL XIII 7070 - Epitaffio del mandriano L. Giocondo

Germania Superior, Magonza, I sec. d.C.

Iucundus M(arci) Terenti l(ibertus) pecuarius.
Praeteriens quicumque legis, consiste, viator,
et vide quam indigne raptus inane querar.
Vivere non potui plures triginta per annos,
nam erupuit servos mihi vitam et ipse
praecipitem sese deiecit in amnem;
abstulit huic Moenus quod domino eripuit.

11. CIL VI 12652 – Epitaffio di Claudia Homonoëa

Roma, I sec. d.C.

(fronte)

Atimetus Pamphili Ti(beri) Caesaris Aug(usti) l(iberti) l(ibertus) Anterotianus sibi et Claudiae

Homonoëae conlibertae et contubernali.

Ἡ πολὺ Σειρήνων λιγυρωτέρη, ἢ παρὰ Βάκχῳ
καὶ θοίναις αὐτῆς χρυσοτέρη Κύπριδος,
ἢ λαλὴ φαιδρὴ τε χελειδονὶς ἔνθ' Ὀμόνοια
κεῖμαι, Ἀτιμήτῳ λειπομένη δάκρυα,
τῷ πέλον ἄσπασίη βαίης ἅπο· τὴν δὲ τοσαύτην
δαίμων ἀπροΐδης ἐσκέδασεν φίλιν.

*Io, molto più canora delle Sirene, io, nelle gioie di Bacco
e nelle feste più dorata della stessa Afrodite,
io, la rondinella garrula e brillante, Homònoia,
qui giaccio, lasciando ad Atimeto le lacrime.
A lui piacqui fin da bambina, ma un così grande
amore un destino imprevisto dissipò.*

(lato destro)

Si pensare animas sinerent crudelia fata
et posset redimi morte aliena salus,
quantulacumque meae debentur tempora vitae,
pensassem pro te, cara Homonoëa, libens.
At nunc quod possum, fugiam lucemque deosque,
ut te matura per Styga morte sequar.
“ Parce tuam, coniux, fletu quassare iuventam
fataque maerendo sollicitare mea.
Nil prosunt lacrimae nec possunt fata moveri:
viximus, hic omnis exitus unus habet.
Parce: ita non umquam similem experiare dolorem
et faveant votis numina cuncta tuis,
Quodque mihi eripuit mors immatura iuventae,
id tibi victuro proroget ulterius ”.

(lato sinistro)

Tu qui segura procedis mente, parumper
siste gradum quaeso verbaque pauca lege.
Illa ego quae claris fueram praelata puellis,
hoc Homonoëa brevi condita sum tumulo,
cui formam Paphie, Charites tribuere decorem,
quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos aetas mea viderat annos,
iniecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror hoc, morte est mihi tristior ipsa
maeror Atimeti coniugis ille mei.
“ Sit tibi terra levis, mulier dignissima vita
quaeque tuis olim perfruerere bonis ”.

12. CIL IX 3071, 7086 – *Epitaffio di Naiamira(?)*

Italia, Regio IV (Samnium), Chieti - Intepromium, III sec. d.C.

Siste gradum quaeso (sine te levet umbra) tenacem,
hospes: iter durum est, quid teris usque viam?
Audi pauca, moram faciunt mea dicta laboris,
sed memor haec imo pectore conde tuo.
Crudeles divi, Stygias quicumque paludes
incolitis, nulli qua datur ire retro,
quid vos immatura iuvat, quae vestra futura est
post modo consumpto tempore, turba, tuo?
Fletibus assiduis luget mestissima mater

quae prior occideri quam Naiamira(?) dari
igni debuit, ut superi pia fata tulissent,
et pater hoc titulo debuit ante legi.
His ergo mea dicta refer: desista(n)t humatam
ulterius lacrimis sollicitasse suis;
sum defleta satis, finem decet esse dolori:
qui semel occubuit, nulla querella iuvat.

13. CIL VI 10493 – Epitaffio di Acilia Romana

Roma, II sec. d.C.

D(is) M(anibus) C(ai) Acili Erotis et Aciliae Romanae.
[Q]uamvis inscriptum ferali carmine saxs[um]
saepe legas, nostro nil puto flebilius.
[Si]ste gradum parvamque moram concede via[tor]:
aspicies quantas liquerimus lacrimas.
[V]na forte die duplici nos pondere mater
[e]didit heu similes, heu male dissimiles.
[In]vida bis denos Lachesis concesserat annos:
[n]ondum alio pleno quod dederat rapu[it].
[No]mine Acilianus, quo nomine nunc soror op[er]at[ur]
[v]ivat et a fati sit procul usque meis.
[...]

14. CIL VI 10969 – Epitaffio di Elia Sabina

Roma, II sec. d.C.

D(is) M(anibus) Aeliae P(ubli) f(iliae) Sabinae dulcissim(ae). Aelius Trophimus et
Longinia Sabina parentes fecerunt.
Quisquis ades celeri gressu, precor, ito, viator,
ito procul et linque nefas, tibi dico, viator:
parce oculis nec nostra velis cognoscere fata,
sanguinea palla quae textit prodiga Clotho
et favit rupisse suas quoque fila sorores
luctifica properante manu. Iam siste, viator,
ne tibi sim penitus quaerenti causa doloris.
Sede sub hac parva titulo parvoque tenetur
parva [ani]ma, dolor immensus crudileque [fu]nus
orbatusque parens geminus, spes dura trienni
diraque sors leti. Placet hoc, Fortuna, sepulchrum?

15. CIL V 4905 – Epitaffio di P. Atinio

Italia, Regio X (Venetia et Histria), Vobarno, I sec. d.C.

P(ublius) Atinius L(uci) f(ilius) Fab(ia) hic situs est.
Si lutus, si pulvis tardat te forte, viator,
arida sive sitis nunc tibi iter minuit,
perlege, cum in patria(m) tulerit te dextera Fati,
ut requietus queas dicere saepe tuis:
“ Finibus Italiae monumentum vidi Voberna,
in quo est Atini conditum [corpus ? ...] ”.